

*magnopere confirmantes. Anno MDCLXV. decimo Calendas Quinctileis, cum Con-  
 Etura per octo annos functus fuisset, Rector lectus fuit & renunciatus: anno proximo  
 superiore MDCCIV. rudem accepit perhonorifice, surrogato in eius locum, tertio Nonas  
 Maii anni dicti, M. Tobia Eckhardto, Rectore Stadeni laudatissimo. Illud declarat  
 programma primum, Orationi nostrae additum, condocetque Oratio ROESERI auspicalis;  
 hoc ex programmate altero, in Introductione Eckhardina per maxime Reuerendum  
 Dominum Fridericum Ernestum Kettnerum euulgato, pernoscimus: at monumen-  
 tum istud tergeminum qui considerat & laudatorum officiorum momenta, nae is constanti fa-  
 ma celebrari sentit SCHMIDIANAM pietatem, virtutem, institutionem & discipli-  
 nam, iudicatque, recte, instar programmatum, ante omnium oculos poni monumentum prae-  
 sens, Orationem ROESERIANAM. Quandoquidem etiam dubio procul Ephorus Illu-  
 stris Quedlei modernus, KETTNERVS, typis exscribi patietur sermonem suum, quem  
 in missione SCHMIDII honesta causariaque, & Introductione ECKHARTI, in il-  
 lustre argumentum dixit, de Reformatione Ecclesiarum & Scholarum Quedlinburgen-  
 sium, de variis Colloquiis Theologicis Quedlinburgi habitis, nec non de ortu &  
 progressu Illustris Lycei Quedlinburgensis, gratum, ut opinor, erit, extare sermonem  
 ROESERIANVM, quo in Rectoris munus introductus fuit SCHMIDIVS. A SCHMI-  
 DII tandem ore in Quedleano pependit Zimmermanus, Ecclesiastes supra merito alla-  
 tus, & assiduus Orationis nostrae custos; ut proinde vix Zimmermanno, beneficiorum  
 memori & mecum Orationem communicanti, succensere queat SCHMIDIVS, nedum mihi,  
 qui, quod similiter dixi, Zimmermannianam sobolem emissurus istam curavi exscribendam  
 ipse SCHMIDII Cuius & sincerus Cultor.*

*Tantum de monumento meo, qua ex parte id in Titulo ROESERO-SCHMIDIA-  
 NVM appellatur. At vero WEISIANVM quoque dixi, habita ratione, ut denuo & aper-  
 tius nunc eloquar, TVI, Vir de salute literarum meruisse, Domine CHRISTIANE WEI-  
 SI, insignis Gymnasii Zittauensis RECTOR & Fautor optime; rationem habeo ex  
 causis in allocutionis meae limine iam prolatis, & tam dedicando, quam gratulando quoddam  
 TIBI statuo monumentum; hoc acceptius sane futurum, quo minus animo aspernari potes  
 Orationem, memoriae inaugurationis SCHMIDIANAE sacram, quo minus ipsum asperna-  
 ris SCHMIDIVM. Longinquior fortassis ratio prooemii huius videatur, quod Iacobum  
 Nicolaum Roelerum doctrinis omnibus, quibus iuuenilis aetas debet impertiri, erudiuit  
 Christianus Gueintzius, Rector olim Hallensis, sed in Lusatia iterum prognatus & Ci-  
 vis noster. Repetere detrecto causam ab vrbe superioris Lusatiae Schmidio natali, quae est  
 Zittauia, vrbs florentissima, illustre rectissimae Reipublicae exemplar, & Erudito-  
 rum mater adeo foecunda, ut iam nunc in Academiis tribus, Lipsiensi, Wittebergenfi  
 & Hallensi, tres sciamus excellere Theologos, SELIGMANNVM, NEVMANNVM  
 & ANTONIVM, qui Zittam parentem praedicant & educatricem: noui enim probeque  
 commemini, ἀεὶ σὺν ἑαυτῷ TE odisse & blanditias, quarum suspensionem praebeam fortassis, lauda-  
 turus imprimis Zittauiae natos subnatosque, aut TVIS praeceptis egregie eruditos. Amicus  
 praeterea TVVS est SCHMIDIVS, isque arctissimo amoris vinculo NOMINI WEISIA-  
 NO devinctus, & post pia fata adhuc obligatus parenti TVO, ELIAE WEISIO, in Gymna-  
 sio Zittano Collegae quondam laboriosissimo & perfideli, cui quantum debeat SCHMI-  
 DIVS, & se debere palam uti sit professus, ex dedicatione Hodegi illius Epistolici est colli-  
 gere, quae integra (meretur enim ad demonstrandam Instituti mei bonitatem adduci) sic habet:*

VIRO.  
 RE. MAGIS. QVAM. NOMINE.  
 CLARISSIMO.  
 DN. ELIAE. WEISIO.  
 PHILOLOGO. EXIMIO.  
 AC. GYMNASII. QVOD. ZITTAVIAE.  
 IN. PATRIA. EST.  
 COLLEGAE. ORDINE TERTIO.  
 MERITIS. PRAEFISCINI. PRIMO.

B

OLIM.